

invenerimus ad terragiandum, ut vulgo dicitur¹⁾, vocabimus nec secundum expectabimus. Si autem neutrum eorum terragionis hora habuerimus, monachus seu quilibet ex parte nostra, cui digne sit credendum, terragiabit loco eorum, ne mora seu expectatio eorum nostrum pariter et illorum fiat dampnum. Nostrum etiam erit apud Fontanas tantum²⁾ deducere ipsum nonum eorum manipulum³⁾. Huius autem pactionis verba prefati milites cum uxoribus et liberis se posterosque suos servare sacramento firmaverunt et tantum cespitem⁴⁾ sanctissime virginis Hunegundis feretro propriis manibus in elemosynam relinquentes⁵⁾ posuerunt. Quod ut ratum per succedentia tempora permaneat, anathematis vinculo violatores huius elemosyne obligavimus et nisi resipuerint a sancte ecclesie liminibus sequestravimus.

Item terras Rainardi militis de Regniaco, quas apud Macheium habebat, bonas et malas, cultas et incultas, perpetualiter ab eo tali conditione accepimus: Nonum manipulum illi persolvemus, non tamen de subvectione ipsius manipuli cogi vel inquietari poterimus. Sed etiam si fortuna aliqua interveniente colere non poterimus seu propter sterilitatem illarum quiescere tempore etiam longiore siniverimus, conqueri vel inquietare nos non poterit, quoniam et hoc ipsum legitime sacramento manu propria firmavit. Atrum porro campum ab eo perpetualiter emimus, de quo manipulum sicut de ceteris terris non accipiet.

Sic fueris felix multos numerabis amicos,
Tempora si fuerint nubila solus eris⁶⁾.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum et in via peccatorum (Psalm I, 1).

Beatus vir qui non abiit; abiit consentiendo; sedit docendo; stetit defendendo. In abeunte nota levitatem: in sedente superbiam; in stante obstinationem. Abitur diversis modis: Alii veniunt paviti; alii atrahuntur illecti; alii seducuntur spontanei. Invitis necessaria est fortitudo; illectis temperantia; spontaneis iusticia: Quamvis sola sufficiat iusticia.

Sic⁷⁾ vos non vobis vellera fertis oves.
 Sic vos non vobis mellificatis apes.
 Sic vos non vobis nidificatis aves.
 Sic vos non vobis fertis aratra boves.

1) 'ut vulgo dicitur' übergeschrieben. 2) 'tantum' übergeschrieben.
 3) 'nonum eorum manipulum' auf Rasur. 4) 'tanto cespiteque' Hs.
 5) 'reliquentes' Hs. 6) Sind die Schlussverse des Facetus; vgl. Habich, Programm des Ernestinum. Gotha 1860, S. 15. 7) Cod. immer 'Si'.